



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 6. Mutationem Nabuchodonosoris non fuisse merè imaginariam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

si vitri fragmenta dissilirent. Fuit & qui imaginaretur, se Cardinalem esse; & rubri pilei epomidisque purpureæ loco, in publicum processurus, supparum capitâ inijceret coccineum, vt bardocucullum vel subuculatus gestare videretur. Plura in hanc rem exempla videri possunt apud Bidermannû nostrum. Quæ perspicuè ostendunt, multos dementire, & verò etiam stultos fieri, ob solam vehementem rei alicuius amabilis, vel execrabilis apprehensionem. Enimverò Seneca testatur Bibium Gallum Romanum, imitando gestus stulti, eos ita phantasiæ impressisse, vt inde reuera stultus euaserit, neque post eum diem indiguerit stultitiæ simulatione.

§. VI.

Mutationem Nabuchodonosoris, non fuisse merè imaginariam.

Itaque tali modo censet S. Thomas, vel quisquis illius libri est author, regem Nabuchodonosorè in feram mutatum. Eiusdem opinionis est etiam Franciscus Valesius, & Hieronymus Mercurialis, qui prorsus existimant, nihil aliud fuisse regis huius metamorphosin, quàm morbum, quem medici melancholiam appellant,

Franciscus
Vales. de
sacr. Phil.
cap. 80.
Hieron.
Mercur.
lib. 6.
var. lect.
c. 20.

Y 2

quo

quo qui nimio laborant, insaniunt, & incredenda somniant vigilantes. Imaginatur, se captos, catenis ligatos, gladio subiiciendos, strangulandos: jam hoc, jam illo morbo affligi, sæpe etiam mortuos se esse suspicantur. Quippe ni etiam se aliaputant esse animalia? asinos aureos, unde rudere conantur; leones Nemeæos, quare & rugitum tentant; molossos Anglicos; hinc identidem latrant; gallos galinaceos, atque idcirco latera concutiunt, & diem cantu salutant; lupos famelicos, unde & greges quærunt; quos sæpe pro hominibus aspiciunt, ut apud Poëtas Aiax, qui sæuijt in gregem porcorum hostes suos esse arbitratus. Eiuscemodi melancholia *canina, lupina, &c.* Latinis, Græcis *λυκῶν θρωπία*, Arabibus *cutabut* appellatur. Modus iste non sufficit, & meritò dicitur à Cornelio non adæquatus; quia nullus naturalis morbus figuram hominis mutat; neque temperamentum eius ita efferat, ut per septem annos cibo ferino, & quasi fera cum feris uiuat. Neque sanè regi reliquæ in siluis feræ pepercissent, si mutatio ista fuisset in sola illius phantasia, quam non vidissent. Et, estò protegi à Deo, etiam sic
potuif-

potuisset, contra vim aliarum bestiarum, eertè neque Daniel, neque ceteri satrapæ eum ex aula in siluas eliminassent, si vidissent nihil in eo, nisi phantasiam corruptâ; sed eum domi catenis alligatum, aut conclavi cohibitum custodijissent, donec ad se rediret; sicut & alij insani custodiuntur.

§. VII.

Nabuchodonosorem nec bestiam, nec semibestiam fuisse.

Tertiò igitur quidam Iosepho ascribunt eam sententiam, quasi Nabuchodonosor reipsa ex homine bestia sit factus. Sed neque Iosephus id scribit, neque ratio patitur; si enim tam anima, quàm corpus subiissent eiusmodi mutationem, non jam ipse vinculo ferreo & areo alligatus fuisset, non ipse fœnum ut bos comedisset, non rore cali corpus eius infectum esset; non capilli eius in similitudinem aquilarum creuissent, & unguis eius quasi avium; sed hæc omnia bovi, aut bestię accidissent, quæ nihil peccauerat, anima regis annihilata, vel in exilium pulsa, atq; tantisper vagari iussa.

Quamobrem Dorotheus & Epiphanius volunt Nabuchodonosorem non totum in feram fuisse commutatum, sed interiùs

Doroth.
in synopsi.
Epiphan.
in vita
Danielis.